

Peter Hinckelmann Johannes Cuselius

**De Papismo Disputatio Anasceuastica Secunda. Continens praecipuos Romanae Synagogae errores refutatos, quos ea fovet in loco De Deo Uno Et Vero**

Rostochii: Litteris Reusnerianis, 1607

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756801915>

Druck Freier  Zugang



P. Hinkelmann.

R. M. theol. 1607. 8.



- Constantia
- ① Joh. Caselius, de deo uno et vero 1607
  - ② Joach. Hammingius, de communicatione majestatis 1607
  - ③ Joach. Fischerus, de peccato originali 1607
  - ④ Heid. Kirchorius, de substantia hominis 1607
  - ⑤ Joh. Redekerus, de discrimine legis ev. 1607
  - ⑥ Heman. Textorius, de justificatione 1607
  - ⑦ Joach. Jordenius, de bonis operibus 1608
  - ⑧ Joach. Lutetius, de sacramentis 1608
  - ⑨ Joach. Hammingius, de sacramento coenae 1608
  - ⑩ Heid. Kirchorius, de sacr. Confirmationis 1608
  - ⑪ Joh. ab Huda, de traditionibus 1608
  - ⑫ Paul. Boninus, de votis monachatus 1608
  - ⑬ Nic. Fridericus, de adiaphoris 1608
  - ⑭ Haver. Hammerus, de oratione 1608
  - ⑮ Pet. Loft, de indulgentiis 1608
  - ⑯ Joh. Albinus, de morte 1608



DE PAPISMO  
DISPUTATIO ANASCEUASTICA  
SECUNDA,

*Continens precipuos Romanae Synagoga erro-  
res refutatos, quos ea fovet in loco*

De

DEO UNO ET  
VERO,

*Reverende facultatis Theologicae in Academia  
Rostochiensis consensu:*

Moderatore & Doctore SS. Spiritu:  
Sub Praesidio

*M. PETRI HINKELMANNI*  
*Verbi Divini ministri:*

ad privatam *συστήσαν* proposita

à

IOHANNE CUSELIO  
Lubec. Saxone.

*Horis locog, consueto, 14. Calend. Septemb.*

ROSTOCHII,  
Litteris Reulnerianis An. 1607.



- 1
- 2
- 3
- 4
- 5
- 6
- 7
- 8
- 9
- 10
- 11
- 12
- 13
- 14
- 15
- 16







DISPUTATIO II.

De Deo uno & vero.

Respondente.

IOANNE CUSELIO Lubecensi Saxone.

πελεγόμενα.

I.

**D**ostquam locus de S.S. Scriptura, qui quasi reliquorum locorum, & universa Theologia *οικονομικῆς* & fundamentum, superiori συζητικῆς sub disquisitionis aleam vocatus: optimo & convenientissimo ordine locus de DEO T.O.M. qui ad illam tanquam ad lydium lapidem diligenter examinandus & excutiendus, jam subsequitur.

II. Vox enim DEI veracis sermō nobis inculcat, Ad legem & Testimonium, si quis non dixerit juxta verbum hoc non erit ei matutina lux. Et Moses reliquiq; Propheta omnes tantum in verbo DE Icaliensis tradito acquiescendum, inq; eo ambulandum esse praeceperunt.

Esa. 8. v. 20.  
Exod. 20, 2.  
Levit. 19, 4.  
Deut. 5, 7.  
Psal. 81, 10.  
Esa. 44, 6.  
Ierc. 19, 19.

III. Huic admonitioni nos quoq; in hacce συζητικῆς συν Θεῷ animos auresq; patulas praeberentes, juxta lumen gratia Scripturam S. ut unicuique fidei & dogmatum pietatis canonem, doctrinam hanc de DEO T.O.M. quomodo vero cultu λατρείας solus à nobis colendus & venerandus, dispiciemus.

IV. Quoniam autem in hac nostra privatâ Theologicâ συζητικῆς illud nobis maxime propositum habemus, ut Pontificiorum crassos & tetricos errores, quos serè in omnibus doctrina caelestis capitibus fovent ac alunt denudemus & ob oculos quas omnibus ponamus: In hoc quoq; articulo, opinione plures & majores Pontificiorum errores examinandi



1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16

& refutandi occurrunt, quos majoris perspicuitatis causa in duo sequentia capita distributa, breviter refutabimus.

I. Ostendemus illud Pontificiorum de speculo Trinitatis confictio monstrum, esse plus quam vanum & impium, & cultum adorationis soli DEO tantum tribuendum.

II. De quibusdam DEI attributis, Veritate, misericordia & iustitia agemus.

### CAPUT PRIMUM.

#### De Speculo Trinitatis confictio & cultu adorationis;

##### Primus Error.

Caspar  
Sasgerus  
in tractatu  
de Invocat.  
Sanct. So-  
tus in af-  
fert. catho-  
lica de in-  
vocatione  
S.

Sancti in patria caelesti DEO Trinuno praesentes, cernunt in beatissima Trinitate (tanquam in speculo terso & bene polito omnia, & necessaria & contingentia perfecte repraesentante) ea quae nobiscum in terris aguntur, sciuntq; gemitus & suspirius nostros, vota quoq; nostra precesq; respiciunt ac exaudiunt.

##### REFUTATIO.

D. Keiser sp.  
hoc de spe-  
culo con-  
tiones pu-  
blicas ha-  
buit & post  
se reliquit.

I. Haec opinio quam sit vana quamq; falsa vel hinc apparet, quod cum nullum verbum, nullum etiam locum proferre possint Romanenses ex toto Bibliorum codice, quod falso huic dogmati patrocinari videatur, confugiant ad figmenta & speculationes humanas, inanes, & putridas, & quidem falsissimis principijs fabricati sint speculum Trinitatis, quod S. Propheta Esaias ex Spiritus S. instinctu fregit & contrivit.

II. Quin & hoc S. S. Scriptura minime consentaneum imo maxime contrarium, Sanctos in hoc speculo corda & gemitus nostros intueri, cognoscere, audire, discernere & iudicare. Solius enim DEI & Christi mediatoris proprium est corda intueri & scrutari ac cogitationes videre.

III. De sanctis vero, qui ex hac miseriarum valle discesserunt, scriptura expresse tradit quod nos & res nostras in terris in specie non cognoscant. Esa. 63. v. 15. Populus protestatur se ideo oratione ad

DEVM



DEVM confugere, quia Abraham nescit nos, & Israel ignorat nos, tu autem Pater noster es respice de caelo.

IV. Consentit etiam nobiscum D. Augustinus, dum sic loquitur: Profecto quod sacer personat Psalmus verum est: Quoniam Pater meus & mater mea dereliquerunt me Dominus autem assumpsit me. Si E. dereliquerunt nos Patres nostri, quomodo nostris rebus & curis intersunt? Si autem parentes non intersunt, qui sunt alij mortuorum, qui moverunt quid agamus quidve patiamur? Ibi Ergo, Idem, inquit August: sunt spiritus defunctorum, ubi non vident quacumq; aguntur aut eveniunt in ista vita hominum.

De cura  
mort. c. 13.  
Psal. 27, 10.

V. Verum Pontificij ut nihil intactum inviolatumq; relinquunt, locum illum Esa. 63. v. 15. illudere conantur, dicentes: hoc dictum prolatum fuisse temporibus Prophetarum, quando Patriarcha in Limbo detinebantur, privati divina visione, & per consequens, notitia illorum qua in terra geruntur, nunc autem secus.

Sasgerus  
de Invoc.  
Sanct:  
adag. 7.

VI. Sed quis tam stolidus, & in sacro codice tam peregrinus hospes, qui non videat hoc dogma de limbo Patrum esse purum; putumq; figmentum ac mendacium, quod nullis scripturae testimonijs, ne uno quidem jota probari possit. Illa vero (si qua habent) qua propugnando huic suo mendacio adsciscunt, pessime contorquent.

VII. Scriptura S. duas tantum mansiones ostendit quibus anima defunctorum recipiuntur, salutis & beatitudinis alteram, alteram condemnationis. Anima enim corpore soluta, si in vera fide emigravit, ad caelestia regna evolat, perennem illic DEI beneficio adeptura felicitatem: Sin vero se malis, carnisq; cupiditatibus corrumpenda dederit, ad inferos nunquam desiturus damnanda supplicijs deprimitur.

Dan. 12, 2.  
Marc. 16, 16.  
Luc. 16, 22.  
23.

VIII. Pontificij vero prater caelum & infernum, non tantum purgatorium sed etiam limbum, ubi defunctorum anima olim habuerint diverforium, effinxerunt contra scripturam. Sed eadem qua ab illis astruitur facilitate, a nobis vicissim destruitur. Destructo itaq; limbo, corrui illorum falsa, contra illud dictum, exceptio.

Sonnus in  
demonst.  
religionis  
Christianae  
lib. 2.  
Tract. 3.  
cap. 15. item  
tract. 4.  
cap. 1. & 2.  
Catech.  
Trid. p. 56.

IX. Sunt & plures alij loci SS. scripturae, qua lucubentissime negant,

sanctos



1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16

sanctos defunctos in calis, eorum qua in terris accidunt & geruntur, in specie cognitionem habere. 4. Reg. 22. v. 20. Dicit Dominus ad Iosiam regem pium: Colligam te ad Patres tuos, & colligeris ad sepulchrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala, qua introducturus sum super locum istum. Ecclesiast. 9. Mortui nihil noverrunt amplius scilicet eorum qua in terris geruntur. 4. Reg. 2. v. 9. Elias assumendus in calum dicit ad Eliseum: Postula quod vis ut faciam tibi, antequam tollar à te. Qui locus clarè ostendit Eliam sublatum in calis nihil quidquam de Eliseo scire, & propterea etiam nihil ipsi suis precibus à DEO impetrare posse, itaq; necessum fore, inquit Elias, si quid velit, ut id petat, antequam rebus humanis eximatur.

X. Quia itaq; Pontificij hoc suum fictum Trinitatis speculum, non tam ex SS. Scriptura perpoliri & stabiliri posse videant, ut potius ex ea refutetur & confringatur, fictum fictis quoq; colorare & polire conantur rationibus.

XI. Nugantur enim nescio quid, de fulgore divini vultus ipsos irradiante, in quo ceu in speculo, res etiam hominum contingentes ex alto despiciant. Verum quibus fundamentis id audent affirmare? nisi quod per temulenta cerebri sui somnia velint in abdita DEI iudicia, sine ejus verbo penetrare & perrumpere, ac scripturam conculcare. Sed quoniam ijs ita philosophari lubet, nos quoq; Philosophia illud conspurcatum speculum Philosophicè aliquantisper inspiciemus.

XII. Primum quidem illud plus quam vanum esse, quod de speculo adducunt, omnes intelligunt Philosophi. Docendo enim Sanctos in speculo Trinitatis posse cernere omnia qua aguntur in hisce inferioribus. Omniscios illos faciunt, quandoquidem speculum illud omnia representaret in eminentia divina, ex qua tamen ut omnia hauriant obstare videtur imperfectio illorum, secundum quam, objecto tam divino proportionati non sunt.

XIII. Præterea Essentia DEI continet res omnes tantum eminenter, sicut sol calorem: jam sicut sensus noster in sole non sentit calorem ita etiam intellectus creatus, ex eminentia DEI, non potest res inferiores perspicere.

Thomas



XIV. Thomas tamen & alij ex Pontificiorum cohorte ad stabilendum illud dogma Diabolicum, statuunt Angelos, (quibus Sancti similes) habere in sese speciem omnium individuum, quod falsissimum. Si enim Angelus omnium individuum species in se haberet, esset omniscius: quod contra verbum D E I.

XV. Sciret etiam futura contingentia certo; & ita Diabolus posset certo quavis futura predicere, quod quam falsissimum sequenti syllogismo manifestum evadit.

XVI. Nulla virtus creata, ex sese, potest aliquid certo & evidenter cognoscere, nisi ex causis. Atque causa futurorum contingentium sunt incerta ad producendum & non producendum effectum. E. & illorum cognitio incerta est.

XVII. Postremo (ut aliquid tamen nugatoribus istis largiamur) si Angeli vel sancti tantum haberent de individuis scientia, quantum ipsis divina dispensatio communicaret, num propterea sequeretur esse adorandos & invocandos? Egregia mehercule argumentatio Pontificiorum tripode vel maximè digna.

XVIII. Plura hujusce rei argumeta, qua densò agmine, in Philosophorum scriptis occurrunt ad complementum hujus exercitus non evoco, quòdo enim scriptura testimonia (dicente D. Chemnitio) qua sunt verba D E I, erroribus opponi possunt, tunc non humanae argumentationes, sed ipsa vox divina iudicium pronunciet de controversia.

### Secundus Error.

Sancti itaque scientes & audientes nostras preces una cum DEO licitè & meritorie possunt à nobis in via consistentibus implorari & invocari ad duo beneficia in communi nobis impendenda, tum ut pro nobis intercedant apud D E V M, tum ut nobis sive visibiliter sive invisibiliter adiutorium impendant.

Casp. Sagerus de inv. Sanct. adag. 8. Petrus Lombardus lib. 4. sent. dist. 48. Trid. conc. sess. 9.

### REFUTATIO.

I. Quia hoc errore diabolus tanquam fascino spiritali illudat hominibus,



1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16

minibus, cultum adorationis defunctis sanctis tribuendo, ut honorem DEO soli proprium & debitum eripiat & detrahat: non etiam huc totam disputationem contra invocationem Sanctorum, quae suo loco tractanda erit, transferemus, sed jugulum caussa petentes, cultum adorationis soli DEO proprium, eiq; tantummodo tribuendum ostendemus.

II. Id quod eò fiet facilius, quo magis falsitas hypothesis in priori errore detecta est. Si enim Sanctos defunctos cognitionem harum terrestrium rerum particularem non habere constat certissime, ut demonstratum est superius, ultrò eorum invocationem esse vanam & irritam sequetur. Restat itaq; tantum, ut, si obtinuerimus cultum adorationis DEO esse tribuendum, Necrolatrici isti turpis Idololatriæ accusentur.

III. Primo itaq; occurrunt clarissima dicta scripturae, quae nullâ sophisticâ eludi possunt, quibus cultus adorationis soli DEO ascribitur. Exod. 20. v. 3. Esa. 42. v. 8. c. 48. v. 11. Ego Dominus, hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus, c. 45. v. 23. Mihi curvabitur omne genu Matth. 4. v. 10. Dominum Deum, adorabis, & eum solum coles. Deut. 10. v. 20. Psal. 50. v. 14. 15. Ierem. 3. v. 6. 23. Psal. 18. v. 7. 120. v. 1.

IV. Deinde totus chorus omnium Patriarcharum, Prophetarum & Apostolorum, adeoq; omnium Sanctorum DEI hominum, qui nullum alium prater unum & verum DEVM invocarunt, suo suffragio DEO soli honorem adorationis defert.

V. Deniq; nec desunt rationes, quibus hic cultus divinus purus ab Idolomania Papistica vindicatur. 1. Quia ille est tantum invocandus, cui hic cultus ascribitur, quem omnes omnium temporum Sancti invocarunt, qui est unicus ille Deus, ut ex prioribus dictis scripturae patet. E. relinquentes hunc verum DEVM, fontem vivum, & quærentes & fodientes sibi fœtidus cisternas alias, Idololatriam horrendam committunt.

VI. 2. Univerſis quidem & singulis sacilibus ubiq; terrarum constitutis,



*zueis, in omnibus suis angustijs ad impetrandum opem clamandum est, necessario inde etiam requiritur, ut is qui adoratur omniscius sit & omnipotens, qui & suspiria inenarrabilia cordium intelligat, & potens sit orantes ex omnibus adversis & periculis liberare. Talis autem nemo est prater unum illum & verum DEUM, qui solus novit animum omnium filiorum hominum 1. Reg. 8. v. 39. Unde & κορηγογνώσης appellatur Act. 1. v. 24. & solus facere potest infinita cum redundantia omnia, super ea quae petimus aut mente concipimus Eph. 3. v. 20. Haec & omnia & singula nemo hominum praestare potest sed uni vero soli DEO competunt. Sequitur E. solum DEUM invocandum esse.*

**VII.** 3. Praterca cum nemo invocari possit aut debeat, in quem non creditur Rom. 10. v. 14. Fides vero nostra in solam sanctam Trinitatem dirigatur; certe prater Trinunum DEUM, qui se nobis in suo verbo patefecit, nemo neq; angelorum, neq; defunctorum sanctorum, invocandus est.

### Tertius Error.

Maria virgo *Ἐπερδελεία* reliqui sancti *δελεία* sed DEUS *Εccius* in *Enchir.*  
*λατρεία* colendus est.

### REFUTATIO.

**I.** Hoc merum est *νεησφύγετον* & *σοφὸν φαρμακὸν* quo maculam idololatriae Thaidi sua Babilonica eluere, fucq; hoc superstitiones omnes purgare conantur, verum nos remotis omnino è scenâ personis rem ipsam brevissimè videamus.

**II.** Suidas & Laurentius Valla ( ille graeca hic latina lingua peritissimus) hosq; secutus Ludow: Vives vir doctiss: & quidem Pontificia religioni addictus, distinctionem hanc plane rejciunt, adeoq; indifferenter & absq; discrimine *λατρεία* & *δελεία* similiter hinc derivata *λατρεία* & *δελεία* usurpari volunt; idq; tum ex probatissimis graeca lingua autoribus, tum ex scriptura ipsa ad oculum demonstrant.

B

Matth



1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16

Matth. 6. v. 24. Luc. 16. v. 13. Non potestis DEO δαλεῖν & Man-  
mona. Et Paulus cultum à se in ministerio suo, & in tota vita ab alijs  
pjs & fidelibus DEO exhibitum commendat per verbum δαλεῖν.  
Act. 20, 19. Rom. 14, 18. & 16, 18. Galat. 4, 9. Col. 3, 24.

CAPUT SECUNDUM.

De quibusdam DEI attributis, Veritate, Misericordia,  
& Iustitia.

Primus Error.

DEUS tam verax non est ut sufficiat solus ad salutis  
viam, & fidei ἀληθοφειαν constituendam.

Praxis  
Romane  
Ecclesie.

REFUTATIO.

I. Hunc de veritate DEI errorem blasphemum, non illis affingi à  
nobis, sed, etsi nonnulli eorum non tam crassi, ut eum verbis astruant,  
re ipsa tamen omnes fovere, rationibus hisce evincitur. 1. Quia non  
soli DEO loquenti in Scriptura credunt, sed etiam, imò multo magis  
Pontifici Romano, Patribus & Concilijs. 2. Et sic veritatem (vani-  
tatem rectius) hominum, DEI veritati longe præferunt. 3. Semper  
jubent dubitare de gratia DEI & remissione peccatorum tanquam  
incerta: quanti itaq; sit illis veritas DEI in SS. Scriptura proposita,  
cuius est facile cogitare.

II. Sed hic crassus & blasphemus error sponte ruet, si præmittamus  
SS. scriptura dicta, quibus DEUM solum esse veracem clarissimè pro-  
batur. Psal. 116. v. 11. Rom. 3. v. 4. Ioh. 3. v. 33. Sit DEUS verax  
omnis autem homo mendax Ioh. 17. v. 17. Sermo tuus veritas est.  
Psal. 100. v. 5. 119. v. 90. Veritas ejus à generatione usq; in genera-  
tionem 2. Timoth. 2. Ille fidelis permanet, negare seipsum non potest.  
His adde vaticinia V. & N. T. ipso eventu certissima.

Rom. 4, 14. Gal. 3, 6. Syr. 2, 11, 12. Ebr. 11, 2. & scq.

III. Tum & omnes sancti veritate divina ejusq; promissionibus  
confisi, non fuerunt confusi, imò totaliter salvati Gen. 15. v. 6. Sequi-  
tur itaq; DEUM solum esse veracem tam efficaciter & potenter, ut in  
salutis



salutis negotio & fidei confirmatione, ejus veritate tuto tantum stare  
possimus & debeamus.

### Secundus Error.

DEUS non est tam misericors, ut hominum quan-  
tumvis agentium poenitentiam preces exaudire, aut eos  
in gratiam recipere velit, nisi per intercessionem sancto-  
rum. Imò & DEI misericordia in tantum non est per-  
fecta, ut etiam suppleatur hominum meritis.

Visitata  
praxis Ro-  
manæ Ec-  
clesiæ.

### REFUTATIO.

I. Hoc argumentum in totum pugnat cum SS. Scriptura. Paulus e-  
nim Heb. 4. v. 16. Expressis verbis jubet nos adire ad Thronum cele-  
stem cum fiducia ut misericordiam consequamur & gratiam invenia-  
mus ad auxilium oportunum. Et Eph. 3. v. 12. Docet: nos habere au-  
daciam & aditum in fiducia per fidem Christi. Contumeliosum autem  
& blasphemum est, quod fingunt DEUM ut truculentum misericor-  
diam abdicasse, tradidisse eam exercendam Sanctis. Totius enim scri-  
ptura vox unica est, sicut Psalm. 145. v. 8. Miserator & misericors  
Dominus patiens & multum misericors. Bonus est Dominus in  
omnes, & miserationes ejus super omnia opera ejus.

II. Rationes autem si considerentur, quas pro propugnando hoc falso  
dogmate afferunt, planè ridiculae sunt, & digna ut soluto cachinno ex-  
ciperentur: Quia scilicet Christus durior, rigidior & asperior sit,  
Sancti vero magis propitij, clementes & misericordes, imò ad exau-  
diendum & juvandum promptiores, ut qui easdem calamitates in car-  
ne ipsi etiam experti sint. Sed hac ratio Sanctos in officio mediatoris,  
non tantum CHRISTO adjungit, sed manifestò praeferit & ex Dia-  
metro pugnat contra expressum verbum DEI Heb. 2. v. 17. Debit  
per omnia fratribus similis reddi, ut misericors esset & fidelis Ponti-  
fex in his quae apud DEVM forent agenda, ad expiandum peccata  
Populi, Nam ex hoc quod ipsi contigit tentatum esse, potest etiam



1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16

is qui tentantur succurrere. Item Heb. 4. v. 15. Non habemus Pontificem &c.

III. Per simile quoq; à foro soli sumptum hunc suum errorem excusare volunt, affirmantes: si in iudicis terreni, vel magistratus offensi, conspectum reus absq; intercessore & deprecatore prodire non audeat, multo magis periculosum hoc fore homini peccatori, si absq; Patronis & intercessoribus cum DEO summe iusto agens in gratiam redire velit. Sed hoc simile præterquam quod maxime dissimile, scriptura etiam minime est consentaneum, qua nobis unicum tantum monstrat mediatorem & intercessorem, qui sit noster advocatus & interpellat pro nobis apud Patrem celestem 1. Tim. 2. v. 5. 1. Ioh. 2. v. 1. Rom. 8. v. 24. Quin etiam omnes voce dulcissima & plane paternâ ad se invitat, se q; solum immediatè accedere jubet Matth. 11. Venite &c. Et promissio extat suavissima Ioh. 6. v. 37. Eum, qui venerit ad me, non eijciam foras.

#### Tertius Error.

Sic neq; DEUS perfectè & summè iustus esse potest, cum humanis acquiescat satis factionibus.

#### REFUTATIO.

I. Hunc quoq; crassum suum in loco de DEO errorem, etsi non verbis ipsis aperte asserant, tamen re ipsa eundem fovent & approbant, statuentes contra scripturam, hominem suis operibus, faciendo quod in se est, mereri de congruo, ut DEUS quantumvis iustus, sua eum sublevet gratia, ut possit deinde de condigno mereri, quo acquiescat iustitia divina. Unde sequitur, quod aut hominum operibus & satisfactionibus perfectionem quandam ascribant, aut DEUM in sua iustitia imperfectum faciant.

II. Nos vero illam de meritis operum humanorum disputationem, suo loco tractandam, hic non attingemus, sed tantum obtinere, & demonstrare: quam brevissime demonstrare studebimus, DEUM in sua iustitia esse perfectissimum, atq; propterea satisfactionibus humanis acquiescere minime posse.

Quia



III. 1. Quia in SS. Scriptura Deus nobis ut summe justus describitur, & talis esse calculo omnium Sanctorum probatur Psal. 110. v. 137.

Psal. 11. v. 7. 143. v. 1. Danicl. 9. v. 7. Job 9. v. 2. 3. Psal. 32. v. 6 &

2. DEUS non tantum justus sed & ipsa est justitia in abstracto Iere. 23. v. 6. ut ejus summa perfectio indicetur.

IV. 3. Lasa DE Iustitia lapsu protoplastrarum, nisi morte unigeniti filij DEI placari nulla ratione alia potuit, propter infinitam illam & summam justitia DEI perfectionem, quam hominum imperfecta satisfactio expiare nequam potuit.

V. 4. Legem DEI quae est aeterna regula justitia in DEO, homo omni suo conatu implere non valet Rom. 8. v. 3. 7, c. 7. v. 14. Luc. 17. v. 10. Cum itaq; ab illa legis perfectione, quam justitia DEI flagitat à nobis, sanctissimi quiq; quam longissime absint, sequitur DEI summam & perfectissimam justitiam hominum satisfactionibus acquirere minime posse.

VI. Haec igitur, & alia ferè innumerabilia, quoniam Synagoga Romana in articulo de DEO fovet absurda, merito concludimus: Pontificios neq; colere, neq; agnoscere verum solum DEUM, sed imaginarium & fictitium numen, quod summo illo & gloriosissimo DEI nomine vestiunt. Et sic Haeretici pessimi, hostes nefarii ac crudelissimi, vanè jactitant se invocare & colere verum DEUM,







*Suo nota fidei*

DN. IOHANNI CUSELIO

Lubec. Respondenti.

**L**usus habet pueros, & sæpè viros habet usus ;  
Luditur & seriò, luditur atq; joco.  
Inducenda iterum est, iterumq; trocho rota, munus  
Exiguum donec corpora lassus habet.  
Ast huic, quem cogit medios abrumperè somnos  
Et matutinum ferre patiq; lutum,  
Quid petitur? Terrâ cum pes vagus exit aquosa;  
Quid petitur? fixus cui manet & stabilis;  
Rasa cohors, vanus cui sunt tua Themata lusus  
Ne facias optat, quod rogat ut facias  
Ludis, sed seriò Sancto pro Numine ludis,  
Quodq; docet, quoq; tu, pagina sacra, doces,  
Quid petitur? magnum tu nomen honore, sed illa  
Tristia cum magno damna pudore feret.  
Ars est captandi, quod nolis velle videri,  
Inq; arte inq; Trocho solvere posse strophas  
Solvere perge dein (tamen hoc si est lusus habendus)  
Si gratum superis ludere pergis opus

*αὐτοῦ ἐδωκ' hoc*

*Georgius Bremerus compatriotæ suo, amicitia  
fraterna Ergò posuit.*



## ALIUD.

**P**ontificis lingens pulcem, dum turba *Suita*  
Fastidit verbi fercula sana DE I  
Sanctos contendit venerandos poplite flexo  
Hocq; in muscerda dogma Papæ reperit,  
Qui si divini foret innutritus in arce  
Verbi, non ructus ederet hos olidos.  
Recte igitur dio nutritus nectare I A N E, &  
Altus divini dogmatis ambrosio,  
Fœtorem hunc subolens, fragrantem opponis odorem  
Quem tempe spirant sancta vireta DE I.  
Soli supplicium I O V Æ. intonet aspera si fors  
Fundenda huic soli supplice vota prece.

*Iohannes Quistorpius Rostoch.*






- Co  
①  
②  
③  
④  
⑤  
⑥  
⑦  
⑧  
⑨  
⑩  
⑪  
⑫  
⑬  
⑭  
⑮  
⑯

ALID


PO...  
K...  
S...  
O...  
V...  
R...  
P...  
Z...  
F...













# ALIUD.

Pontificis lingens pulcrem, dum turb  
Fastidit verbi fercula sana DEI  
Sanctos contendit venerandos poplite fl  
Hocq; in muscerda dogma Papæ rep  
Qui si divini foret innutritus in arce  
Verbi, non ructus ederet hos olidos.  
Recte igitur dio nutritus nectare I A N  
Alrus divini dogmatis ambrosio,  
Fœtorem hunc subolens, fragrantem op  
Quem tempe spirant sancta vireta I  
Soli supplicium IOV Æ. intonet asper  
Fundenda huic soli supplice vota pr

*Johannes Quis*

